

cari potest per terminos communes, in id resolvetur, puto, quod nos affirmamus.

V. Quæres an status gratiæ saltem in ultimo instanti operis requiratur pro hac indulgentiâ obtinenda. Negat Suarez D. c. Sect. 4. quia, ut ipse censet, Pontifex est, qui *immediate* et *directe* concedit indulgentiam defuncto, solumque a vivente tanquam conditio requiritur aliquod opus bonum; quod et in statu peccati præstari potest. Haec quidem ratio nobis non probatur; quia, ut vidimus, ex s. Thoma, indulgentiâ hæc quoque *directe* datur vivis. Verum superest difficultas: cum enim ratio cur requiratur status gratiæ sit quia remissio poenæ non datur existenti in peccato, ea ratio valere videtur cum remissio poenæ est obtinenda ab eo qui opus facit; at cum est obtinenda ab alio, nempe a defuncto, cur non sufficit status gratiæ in isto? Respondeo quod cum qui indulgentiam, quam acquirit, applicat defuncto, operetur ad modum illius qui suffragatur, iure in hoc requiritur ea conditio quæ requiritur in iis, qui pro aliis satisfacere volunt, nempe status amicitiae divinae. Et quidem hunc exigi pro his indulgentiis acquirendis communior sententiâ tenet, ait Lugus d. c. n. 75: nihil tamen definitum est ab Ecclesia; nis cum pro certis indulgentiis præscribit aut contritionem aut confessionem.

### § V.

#### De variis formulis quibus indulgentiæ concedi solent.

I. Brevioribus nobis hæc esse licebit, de praxi enim agitur, quæ ad Canonum peritos potius spectat.

Itaque perpende primum quod mos antiquus et primitivus concedendi indulgentias is fuit, ut non per modum legis illæ proponerentur omnibus, qui hoc aut hoc essent facturi, sed potius singillatim pro opportunitate huic aut illi personæ ad modum personalis privilegii seu beneficii concederentur. Sic facilitatum cum poenitentibus in fine poenitentiae absolutio dabatur. Postea ut ad quædam pietatis opera, ad fidei fervorem, ad defensionem populi christiani, ad pauperum levamen, ad splendorem cultus, ad sacramentorum frequentiam etc. excitarentur fidelium animi, promitti cepit communiter remissio poenæ veluti motivum, quo ad ea opera illi allicerentur. Prior tamen mos etiamnum perseverat, cum e. g. alicui in articulo mortis constituto, ob præcedentia in Ecclesiam merita vel alia motiva, mittit speciatim indulgentiam Romanus Pontifex.

II. Indulgentiarum, quæ alterutro modo dentur, adæquata di-

visio est in partialem et plenariam. Partialem dandi duplex est modus. Prior est magis definitus, cum nimirum dicitur dari remissio alicuius tantum partis poenæ debitæ, puta tertiæ partis (cf. in §. II indulgentiam Urbani III.). Alter modus est minus determinatus; quatenus nempe conceditur remissio unius vel plurium annorum tantum, quæ per se potest esse remissio partialis poenæ, sed fieri quoque potest ut sit remissio totalis, si qui indulgentiam lucratur non sit debitor nisi illius poenæ, cuius remissio indulgetur.

III. Plenaria indulgentiâ ea dicitur, quæ totum debitum poenæ iis, qui illam lucrantur, dimittitur. Quocirca etsi in omnibus eam lucrantibus idem sit formaliter effectus, quia tota, quam debent, remittitur poenâ; materialiter tamen alius et alius erit effectus, quia hic plus, ille minus debebat. Quæritur an verum sit totum debitum reliquum poenæ coram Deo remitti per indulgentiam plenariam digne suscipientibus eam. Mirari quis poterit cur sit qui de hac re dubitet, cum indulgentiæ valeant quantum sonant. Et profecto si sermo sit de potestate, nequit negari esse in Ecclesia potestatem dandi tales indulgentias, ut per se patet ex demonstratione data §. III ex verbis Christi et sensu communi fidelium ita accipientium plenarias indulgentias. Verum quidam dicunt (cf. Tournely de Sac. Poenit. q. ult. art. 1. concl. 5.) reliquam quidem poenam omnem remitti per indulgentiam plenariam, sed eam quæ reliqua sit non solum post iustificationem, verum et post quamdam satisfactionem poenalem a poenitente oblatam. Scilicet monent præceptum poenitentiam agendi naturale et divinum esse ideoque a nemine tolli posse et valere pro omnibus peccatis; tolleretur vero si nulla vel minima supposita satisfactione concederetur alicui plena remissio poenæ, quod tamen in nonnullis plenariis indulgentiis modo habere locum videtur, secus ac in antiquioribus, a quibus plura opera satis poenalia exigebantur. Sane, aiunt, si accipimus testimonium auctoritatis Glossæ in bullam Bonifacii VIII pro Iubilæo, in quo non solum plena, sed plenior et plenissima indulgentiâ concessa fuit, constat quod ipse Pontifex, qui eam concessit, interpretatus est ipsam hoc pacto: « hanc indulgentiam nempe adeo plenam esse prout clavium potestas se extendit ». Cum ergo clavium potestas non se extendat ad hunc effectum ut peccatores eximat ab obligatione poenitentiae, si quando hæc plenaria indulgentiâ detur iis, qui nullam vel levem satisfactionem præstiterint, erit quidem plenaria ex parte causæ h. e. clavium, quæ dant quantum possunt dare; sed non ex parte effectus ut omne prorsus debitum tollatur. Hæc opinio imminuens vim indulgentiæ plenariæ, communiter reiicitur. Nec obstat communi sententiæ

praeceptum naturale et divinum poenitentiam agendi: nam huic ex parte (id enim tantum ipsi adversarii requirunt) fit satis ipsa susceptione sacramenti et convenienti (cf. pag. 438) satisfactione, quae ibi imposita peragatur. Cumvero existat causa dandi indulgentiam, probat Deus ut reliqua poena condonetur, dummodo illud fiat, pro quo indulgentia conceditur, et sic iuri suo exigendi poenas Deus renuntiat. Cur ergo Bonifacius in sua Bulla dixit: « unumquemque plus mereri et efficacius consequi indulgentias, qui basilicas ipsas Apostolorum amplius et devotius frequentat »? Respondeo quod si ille, qui *amplius* et *devotius* basilicas frequentat, consequi *efficacius* indulgentias dicitur, non negatur consequi *efficaciter* eas illum, qui quantum satis est et devote frequentat. Quia vero defectus dispositionis potest esse ex parte nostra; qui plus facit et devotius agit, is reatum cuiuslibet vel minimae culpa facilius abolebit et sic certior erit effectus indulgentiae. Perperam vero in quaestione *de vi* indulgentiae sive plenariae sive partialis, provocatur ad id, quod ait Innocentius III. (cap. *cum ex eo*, de Poenitentis et remissionibus): « per indiscretas et superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Praelati facere non verentur, et claves Ecclesiae contemnuntur et poenitentialis satisfactio enervatur », quod spectat tantum ad rationem largiendi indulgentias, ut nimirum debita causa existat.

Quia vero effectus indulgentiae divisibilis est, idcirco qui totum non assequitur, partem eius consequi potest, pro qua scilicet causa proportionata existit. Cf. s. Thomam suppl. q. XXV. a. 2. ad 3<sup>a</sup>. Indulgentiae plenariae forma sollemnior est lubilaeus plura habens annexa privilegia, de quibus cf. canonistas.

IV. Cum indulgentia partialis datur, concedi solet hoc pacto ut indulgentia detur tot dierum, annorum, quadragenarum. Haec ratio loquendi nectit indulgentias cum poenitentia canonica, supponitque veterem morem redemptionis poenitentiae canonicae. Scilicet per poenitentiam canonicam tot dierum, annorum (qui quidem hypotheticae sine fine augeri possunt) certa remissio poenae apud Deum obtinebatur tunc, et nunc obtineretur, si ea exerceretur: porro eam remissionem, quae responderet poenitentiae tot dierum, annorum etc. concedit Pontifex, si aliquod opus fiat, quod idcirco habetur veluti substitutum poenitentiae illi, ut sit ex parte commutatio quaedam, ex parte gratuita remissio, sicut contingebat in redemptione poenitentiarum. Adverte quod quadragenae, quae annis adiunguntur totidemque ac illi, sunt non aliquid praeter ipsos annos, sed ea pars anni, in qua laboriosior et durior ideoque et satisfactionis feracior erat poenitentia, h. e. ipsum tempus quadragesimae. Diximus quod opus impositum habetur veluti substitutum poenitentiae canonicae;

ita enim primum res concipiebatur cum adhuc vigeat poenitentia canonica et redemptio poenitentiarum erat in usu: desinente vero obligatione poenitentiae canonicae, cum aliunde constaret concedi posse indulgentias propter plures causas praeter ipsam exhibitam Deo a fidei satisfactionem, si praesertim agatur de indulgentiis partialibus, quae locum relinquunt satisfactioni tuae, nequit affirmari universim quod opus iniunctum sit quid substitutum poenitentiae canonicae, quae agenda foret, si eius usus adhuc vigeret.

V. Quaeritur quid sibi volunt Pontifices, cum indulgentiam concedunt *de poenitentis iniunctis*. Haec formula in usu fuit cum adhuc poenitentiae a confessariis iniungerentur secundum canones, sensusque erat quod remittebatur debitum poenae respondens tot annis, diebus de poenitentis iniunctis a confessario, et sic auferebatur obligatio eam partem poenitentiae iniunctae peragenda: quod enim tu assecutus esses eam agendo, iam gratis Pontifex tibi concedebat.

Cum vero adhibeatur haec formula concedendi plures dies, quadragenas aut annos de poenitentis iniunctis, etiam nunc quando non amplius solent Confessarii graves poenitentias secundum veteres canones imponere, probabile satis est quod hac aetate fuerit ampliata significatio eorum verborum *de poenitentis iniunctis*, ut perinde sit ac *de poenitentis iniungendis*, si canones adhuc vigerent, vel simplicius, de poenitentis iniunctis a canonibus, quas nempe canones olim praescribebant. Cf. Lugum D. c. Sect. 2.